



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De vsu siue sumptione huius sacramenti in communi. Quæstio 80.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

*De usu, seu sumptione huius sacramenti in communi
in duodecim articulos diuisa.*

Deinde considerandum est de viū siue sumptione huius sacramenti. Et primo quidem in communi. Secundo, quomodo Christus est vsus hoc sacramento.

- ¶ Circa primum quæruntur duodecim.
- ¶ Primo, vtrum sint duo modi manducandi hoc sacramētū, scilicet sacramentaliter & spiritualiter?
- ¶ Secundo, vtrum soli homini conueniat manducare spiritualiter hoc sacramētū?
- ¶ Tertio, vtrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter?
- ¶ Quarto, vtrum peccator manducans sacramentaliter, peccet?
- ¶ Quinto, de quantitate huius peccati.
- ¶ Sexto, vtrum peccator accedens ad hoc sacramētum sit repellendus?
- ¶ Septimo, vtrum nocturna pollutio impediat hominem à sumptione huius sacramenti?
- ¶ Octauo, vtrum sit solum à ieiunis sumendum?
- ¶ Nonio, vtrum sit exhibendum non habentibus vsum rationis?
- ¶ Decimo, vtrum sit quotidie sumendum?
- ¶ Vndecimo, vtrum liceat omnino abstinere?
- ¶ Duodecimo, vtrum liceat percipere corpus sine sanguine?

ARTIC. I.

Vtrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi?

Ad primum sic proceditur. Viderur, quòd nō debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter & spiritualiter. Sicut enim bapismus est spiritualis regeneratio (secundū illud Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.) ita etiā hoc sacramētū est spiritualis ci-

478
inf. ar. 2.
3. co. q. 4.
d. 9. ar. 1.
q. 1. ad 1.
q. 9. 3.
p. tot. &
Ioānis 6.
1. 7. col. 1.
et 2. & 1.
Co. 11. le.
7. co. 3. fi.
op. 58.
c. 17. 18.
19. & 20.

Aa 2 Ioan.

Ioan. 6. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis & spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

¶ 2 Præterea, Ea, quorum vnum est propter alterum, non debent ab inuicem diuidi: quia vnum ab alio speciè trahit. Sed sacramentalis māducatio ordinatur ad spirituale, sicut ad finē. Non ergo debet sacramentalis māducatio contra spirituale diuidi.

¶ 3 Præterea, Ea, quorum vnum potest esse sine altero, nõ debent contra se diuidi. Sed videtur quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter māducet: alioquin antiqui patres hoc sacramentum spiritualiter māducassent. Frustra etiam esset sacramentalis māducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur conuenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex māducatio, scilicet sacramentalis & spiritualis.

SED contra est, quod super illud 1. Cor. II. Qui manducat & bibit indigne. &c. dicit glos. * Duos dicimus esse modos manducandi: vnum sacramentalem, & alium spiritualem.

RESPONDEO dicendum, quod in sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum, & effectus ipsius: de quorum utroque iam supra dictum est *. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum, est quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod percipit eius effectum. Contingit autem quandoque (sicut supra dictum est *) quod aliquis impeditur a percipiēdo effectu huius sacramēti. Et talis sumptio huius sacramēti est imperfecta. Sicut igitur perfectū contra imperfectū diuiditur: ita sacramentalis māducatio, per quā sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, diuiditur contra spirituale māducationem, per quam quis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem & charitatem.

Ad

gl. or. ibi.

q. præc.

q. præc. a.
3. 7. & 8

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam circa baptismum & alia huiusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur. Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam verò sacramentum, & rem sacramenti. In hoc tamen differunt: quia cum alia sacramenta perficiantur in usu materiæ, percipere sacramentum, est ipsa perfectio sacramenti. Hoc autem sacramentum perficitur in cõsecratione materiæ: & idèò vterque usus est consequens hoc sacramentum. In baptismo etiam, & in alijs sacramentis characterem imprimuntibus, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spirituales effectum, scilicet characterem: quod non accidit in hoc sacramento. Et idèò magis in hoc sacramento distinguitur usus sacramentalis à spirituali, quàm in baptismo.

Ad secundum dicendum, quòd sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spirituales, non dividitur contra spirituales, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spirituales diuiditur, quæ effectum non consequitur: sicut imperfectum quod non pertingit ad perfectionem speciei, diuiditur contra perfectum.

Ad tertium dicendum, quòd (sicut supra dictum est *) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamuis non accipiat in re. Et idèò sicut aliqui baptizantur baptismo fluminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ: ita etiam aliqui manducant spirituales hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter desiderium sumendi ipsam sacramentum: & hoc modo dicuntur baptizari & manducare spirituales & non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hæc sacramenta iam instituta. Alio modo propter figuram: sicut dicit Apost. 1. Corin. 10. Quòd antiqui patres baptizati sunt in nube & in mari, & quod spirituales escam manducauerunt, & spirituales potum biberunt. Nec tamen frustra ad-

9.66.a.11
9.68.a.1
9.73.a.3

hibetur sacramentalis manducatio : quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solum desiderium : sicut supra circa baptismum dictum est *.

ARTIC. II.

q. 69. a. 4
ad 2. q.
q. 66. ar.
31. q. 12

Vtrum solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere?

479
4. di. 9. a.
2. q. 3. q.
5. q. 1.
Cor. 11.
le. 7. co. 3

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam angelorum. Quia super illud Psal. 77. Panem angelorum manducauit homo, dicit gl. id est corpus Christi, qui est verè cibus angelorum. Sed hoc non esset, si angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo angeli spiritualiter Christum manducant.

tra. 26. i.
Ioan. 1. 9

¶ 2 Præterea, Aug. * dicit super Ioann. Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis. Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti angeli. Ergo sancti angeli spiritualiter manducant.

¶ 3 Præterea, August. in lib. de Verbis Domini dicit, Spiritualiter manducandus est Christus, quoniam ipse dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed hoc conuenit non solum hominibus, sed etiam sanctis angelis : in quibus per charitatem est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur, quod spiritualiter manducare, non solum sit hominum, sed etiam angelorum.

gra. 26.
Io. parū
post med.
ro. 9. re-
fertur de
conse. di.
2. c. Panē
de altari

SED contra est, quod Aug. * dicit super Ioan. Panem de altari spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. Sed angelorum non est accedere ad altare, tamquam aliquid inde sumpturi. Ergo angelorum non est spiritualiter manducare.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo

con-

contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Vno modo prout in sua specie cōsistit. Et hoc modo angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christū, prout est sub speciebus huius sacramenti: in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum: quod non competit angelis. Et ideo licet angeli spiritualiter manducant Christum: non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod sumptio Christi sub hoc sacramento, ordinatur sicut ad finem ad fruitionem patriæ, qua angeli eo fruuntur. Et quia ea quæ sunt ad finem, deriuantur à fine: inde est quod ista manducatio Christi, qua eum sumimus sub sacramento, quodammodo deriuatur ab illa manducatione, qua angeli fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare panem angelorum, quia primò & principaliter est angelorum, qui eo fruuntur in specie propria: secundariò autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

Ad secundum dicendum, quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines & angeli: sed homines per fidem, angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo & in enigmate. Et ideo propriè loquendo, non angelis, sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod Christus manet in hominibus secundum præsentem statum per fidem, sed in angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile: sicut dictum est *.

*In solut.
præc. art.
1. & 2. in
istis art.*

Utrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare?

480

4. di. 9. a.

2. q. 1. q.

2. q. a. 3.

q. 2. c. fi.

q. di. 12.

q. 1. a. 2.

q. 2. co.

* tra. 25.

in lo. pa-

rū ante

me to. 9.

refertur

de cōf. di.

2. ca. Ut

qd paras

† 2. 2. q.

4. ar. 5.

* q. prac.

a. 4. ad 3.

arg.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit manducare Christum sacramentaliter, nisi homo iustus. Dicit enim Aug. * in lib. de remed. pœnitentiæ, Ut quid paras dentem & ventrem? crede, & manducaſti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Sed peccator non credit in eum: quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum: ut in 2. parte habitum est †. Ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

¶ 2. Præterea, Hoc sacramentum maxime dicitur esse sacramentum charitatis: ut supra dictum est *. Sed sicut infideles priuantur fide, ita omnes peccatores priuantur charitate. Infideles autem non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum: cum in forma huius sacramenti dicatur, mysterium fidei. Ergo pari ratione neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

¶ 3. Præterea, Peccator magis est abominabilis Deo, quam creatura irrationalis. Dicitur enim in Psal. 48. de homine peccatore. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (puta, mus aut canis) non potest sumere hoc sacramentum: sicut etiam non potest sumere sacramentum baptisimi. Ergo videtur, quòd pari ratione, & neque peccatores hoc sacramentum manducant.

SED contra est, quod super illud Ioan. 6. (Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt) dicit Aug. * Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apost. Iudicium sibi manducat & bibit. Sed non moriuntur sumendo nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

RESPONDEO dicendum, quòd circa hoc quidam anti-

prac. 26. 7

Io. parū

à me sup

illud: Ego

sū panis

vita, 8. 9.

antiqui errauerunt, dicentes quòd corpus Christi nec etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur: sed quam cito labijs peccatoris contingitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum: derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut supra dictum est *) quòd manèribus speciebus corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quamdiu substantia panis maneret, si ibi adesset, vt supra dictum est †. Manifestum est autem, quòd substantia panis assumpta à peccatore, non statim esse desinit, sed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur. Vnde tamdiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à peccatoribus sumptis. Vnde dicendum est, quòd peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

q. 76. a. 6.
a. 3. q.
77 a. 8.
q. 77. a. 5.
q. 8.
alijs eius-
dem q.

Ad primum ergo dicendum, quòd verba illa, & similia sunt intelligenda de spiritali manducatione, quæ peccatoribus non conuenit. Et ideò ex prauo intellectu horum verborum videtur prædictus error processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalem & spirituales manducationem.

Ad secundum dicendum, quòd etiamsi infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Vnde manducat Christum sacramentaliter, si ly sacramentaliter determinat verbum ex parte manducati. Si autem ex parte manducantis, tunc propriè loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non vitur eo quod accipit, vt sacramento, sed vt simplici cibo: nisi forte infidelis intenderet recipere illud quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd etiam si mus, vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent: hoc est, quamdiu substan-

tia

ria panis maneret, sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis: præsertim cum mus, aut canis non tangat ipsum corpus Christi, secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. Quidam autem dixerunt, quòd statim cum sacramentum tangitur à mure vel cane, desinit ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra dictum est*.

*In corp.
art.*

Nec tamen dicendum est, quòd animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum uti eo ut sacramento. Unde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat: sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens, non cadit in divisione alicuius generis: ideò hic modus manducandi corpus Christi, non ponitur tertius præter sacramentalem & spiritualem.

ARTIC. IV.

Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet?

481

*Inf. ar. 7.
et 8. co. et
4. d. 9. a.
3. q. 1. q.
2. q. a. 4.
q. 2. cor.
1. cor.
11. lec. 7.
co. 2.*

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, non peccet. Non enim est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti, quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria, non peccabant, quin etiam veniam peccatorum consequerentur: sicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice & Matt. 14. dicitur. Quicumque tetigerit solum vestimenti eius, salvi facti sunt. Ergo non peccant, sed magis salutem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

¶ 2. Præterea, Hoc sacramentum, sicut & alia, est quædam spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutem: secundum illud Matth. 9. Non est

est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Infirmi autem vel male habentes spiritualiter, sunt peccatores. Ergo hoc sacramentum absque culpa sumere possunt.

¶ 3 Preterea, Hoc sacramentum cum in se Christum contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona (secundum August. in lib. de libero arbit.) sunt quibus nullus male potest uti. Nullus autem peccat, nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum peccat.

† lib. 2 c.
19. nō lon
gè à prin.
tom. 1.

¶ 4 Preterea, Sicut hoc sacramentum sentitur gustu & tactu, ita & visu. Si ergo peccator ex eo, quod sumit hoc sacramentum, peccet, videtur etiam quod peccaret videndo. Quod patet esse falsum: cum ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc sacramentum.

¶ 5 Preterea, Contingit quandoque, quod aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati. Nec tamen talis peccare videtur, corpus Christi sumendo: quia secundum hoc, omnes peccarent qui sumunt, quasi periculo se exponentes: cum Apostolus dicat 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Non ergo videtur, quod peccatori cedat in culpam, si hoc sacramentum sumat.

SED contra est, quod Apost. dicit 1. Corint. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, id est, condemnationem. Dicit autem glossa ibidem, quod indignè manducat & bibit qui in crimine est, vel irreuerenter tractat. Ergo qui est in peccato mortali, si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramento sicut in alijs, id quod est sacramentum, est signum eius, quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti, sicut supra dictum est. Una quidem, quæ est significata & contenta, scilicet

973. a. 6.

ipse

ipse Christus: alia autem est significata, & non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicumque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, & membris eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit: & ideo incurrit sacrilegium, tamquam sacramenti violator; & propter hoc mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in propria specie apparet, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes, non incurrebant crimen falsitatis circa diuina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum. Et præterea Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati: & ideo conuenienter se peccatoribus tangendum exhibebat. Sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tãgi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, scilicet in corde tuo, vt August. exponit*. Et ideo peccatores qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur à contactu huius sacramenti.

tr. 20. 121
in Ioan. à
me. illius
intra tur
tom. 9.

Ad secundum dicendum, quod non quælibet medicina competit secundum quemlibet statum infirmitatis. Nam medicina, quæ datur iam liberatis à febre, ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus & pœnitentia sunt quasi medicina purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem sacramentum est medicina confortatiua, quæ non debet dari nisi liberatis à peccato.

Ad tertium dicendum, quod maxima bona intelligit

ligit August. † virtutes animæ, quibus nullus male
vitur, quasi principijs mali vsus. Vitur tamen eis
aliquis male, quasi obiectis mali vsus: vt patet in his,
qui de virtutibus superbiunt. Ita & hoc sacramen-
tum quantum est ex se, non est principium mali vsus,
sed obiectum. Vnde Augus. * dicit, Multi indigne
accipiunt corpus Christi: per quod docemur, quam
cauendum sit male accipere bonum. Ecce enim per
bonum factum est malum, dum male accipitur bo-
num; sicut è contra, Apostolo per malum factum est
bonum, cum bene accepit malum, scilicet cum stimu-
lum sananæ patienter portauit.

† Loco in
arg. cit.
tra. 62. in
10ã circa
princ. &
tra. 6. ad
c. 1 Ioan.
t. m. 9. de
conf. d. 2.
c. 66.

q 76. a. 7

c. 7. eccle.
hier p. 3.
paulo a
prim.

Ad quartum dicendum, quòd per visum non acci-
pitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum
eius: quia scilicet non pertingit visus ad substantiam
corporis Christi, sed solum ad species sacramen-
tales: vt supra dictum est *. Sed ille qui manducat,
non solum sumit species sacramentales, sed etiam
ipsum Christum, qui est sub eis. Et ideò a visione
corporis Christi nullus prohibetur, qui sit sacramen-
tum Christi consecutus, scilicet baptismum. Non
baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspe-
ctionem huius sacramenti: vt patet per Dionys. * in
lib. ecclesiast. hierar. Sed: ad manducationem non
sunt admittendi, nisi soli illi, qui non solum sacra-
mentaliter, sed etiam realiter sunt Christo coniuncti.

Ad quintum dicendum, quòd hoc quod non ha-
bet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere
dupliciter. Vno modo per culpam suam: vel
quia per ignorantiam iuris, quæ non excusat, repu-
tat non esse peccatum quod est peccatum (pura, si
aliquis fornicator reputaret simplicem fornicatio-
nem non esse peccatum mortale): vel quia negligens
est in examinatione sui ipsius: contra id quod Apo-
stolus dicit primæ Corint. 11. Probet autem seipsum
homo, & sic de pane illo edat, & de calice bi-
bat. Et sic nihilominus peccat peccator sumens cor-
pus Christi, licet non habeat conscientiam peccati:

qua

quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius: puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest, verum sit verè contritus. Sufficit enim, si in se signa contritionis inueniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cauere de futuris. Si verò ignorat hoc quod fecit, esse actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat (puta si accessit ad non suam, quam credebat esse suam) non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, vt infra dicitur*. Vnde iam non est dicendus peccator.

*Non cõple
uit morte
prædictus.*

ARTIC. V.

Vtrum accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauissimum omnium peccatorum?

482.

*4. d. 9. ar.
3 q. 3. q.
1. Co. 10.
2. 5. co. 3.*

*gl. interl.
ibi. in sen
tentia.*

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauissimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus primæ ad Corinth. 11. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. glos. ibidem*, Hoc est, ac si Christum occiderit, punietur. Sed peccatum Christum occidendum, videtur fuisse grauissimum. Ergo & hoc peccatum, quo aliquis cum conscientia peccati ad mensam Christi accedit, videtur esse grauissimum.

¶ 2 Præterea, Hieronym. dicit in quadam epist. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis? dic sacerdos, dic clerice, qualiter eisdem labijs filium Dei oscularis, quibus osculatus es labijs meretricis. Cum Iuda, osculo Filium hominis tradis. Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedens peccare, sicut Iudas peccauit, cuius peccatum fuit

fuit grauiſſimum. Sed multa alia peccata ſunt grauiora quàm peccatum fornicationis, & præcipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuſlibet peccatoris ad menſam Chriſti accedentis peccatum eſt grauiſſimum.

¶ 3 Præterea, Magis eſt abominabilis Deo immunditia ſpiritalis, quàm corporalis. Sed ſi quis proijceret corpus Chriſti in lutum, vel ſterquilinum, grauiſſimum reputaretur eiſ peccatum. Ergo grauius peccat, ſi ipſum ſumat cum peccato: quod eſt immunditia ſpiritalis. Ergo hoc peccatum eſt grauiſſimum.

SED contra eſt, quod ſuper illud Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus eiſ non fuiſſem, peccatum non haberent, dicit Auguſt. hoc intelligendum eſſe de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Et ita videtur, hoc peccatum non eſſe grauiſſimum, ſed magis peccatum infidelitatis.

RESPONDEO dicendum, quodd (ſicut in ſeconda parte dictum eſt*) dupliciter aliquod peccatum poteſt dici grauius alio. Vno modo per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti. Et ſecundum hoc, quânto id contra quod peccatur, eſt maius, tanto peccatum eſt grauius. Et quia diuinitas Chriſti eſt maior humanitate ipſius, & ipſa humanitas eſt potior quàm ſacramenta humanitatis: inde eſt quodd grauiſſima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam diuinitatem: ſicut eſt peccatum infidelitatis & blaſphemix. Secundario autem ſunt graua peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti. Vnde & Matthæi 12. dicitur, Qui dixerit verbum contra Filium hominiſ, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra ſacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti. Et poſt hæc ſunt alia peccata contra pu-

*tra. 89. 2
Ioa. inter
med. 6
prin. to. 9*

*1. 2. q. 73
a. 6. et 2.
2. q. 73. 6.
3.*

ras creaturas . Per accidens autem vnum peccatum est grauius alio ex parte peccantis : puta, peccatum quod est ex ignorãtia vel infirmitate, est leuius peccato quod est ex contemptu, vel ex certa scientia . Et eadem ratio est de alijs circumstantijs . Et secundum hoc, istud peccatum in quibusdam potest esse grauius: sicut in his qui ex actuali contemptu, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt . In quibusdam verò minus graue : puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt . Sic ergo patet quòd hoc peccatum est multis alijs grauius secundum suam speciem : non tamen est omnium grauiissimum .

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum indigne sumentium hoc sacramentum, cõparatur peccato occidentium Christum, secundũ similitudinem (quia vtrumque cõmittitur contra corpus Christi) non tamen secundum criminis quantitatem . Peccatũ enim occidentium Christum, fuit multo grauius . Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria : hoc autem peccatum est contra corpus Christi, in specie sacramenti . Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum .

*In solut.
preced.*

Ad secundum dicendum, quòd fornicator accipiens corpus Christi, comparatur iudæ Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis (quia vterque ex signo charitatis Christum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatem: sicut etiam prius dictum est *. Hæc tamen criminis similitudo non minus competit alijs peccatoribus, quàm fornicatoribus . Nam & per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum ; & tanto magis, quanto peccata sunt grauiora . Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti : in quantum scilicet per

per hoc peccatum spiritus maximè carni subijcitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen ponderat impedimentū ipsius charitatis, quàm feruoris eius. Vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter loquendo, maximè hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum ecclesiasticæ vnitatis, vt supra dictum est *. Vnde & grauius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quàm fidelis peccator: & magis contemnit Christum, secundum quòd est sub hoc sacramento, præsertim si non credat Christum verè sub hoc sacramento esse: quia quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento; quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum, non in seipso, sed quantum ad vsum, indignè accipiens. Vnde & Apostolus 1. Corint. 11. assignans rationem huius peccati dicit, Non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens ipsum ab alijs cibis: quod maximè facit ille, qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

979.2.1.
 973.
 2.4.50.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui proijceret hoc sacramentum in lutum, multo grauius peccaret, quàm ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator indignè corpus Christi accipiens. Secundo, quia homo peccator est capax gratiæ, vnde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quàm quæcumque alia irrationalis creatura. Vnde maximè inordinatè vteretur hoc sacramento, qui proijceret ipsum carnibus ad manducandum, vel qui proijceret in lutum conculcandum.

Vtrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti?

483

*In q. 81.**a 2. co. c.**ad 2. et 4**d. 9. a. 5.**q. 1. p. 10.**c. 9. 2.**so. et quo.**5. ar. 12.*

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non enim est faciendum contra Christi præceptum, propter vitandum scandalum vel infamiam alicuius. Sed Dominus præcepit Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus. Maxime autem datur sanctum canibus, cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum scandalum, neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

¶ 2. Præterea, De duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur, quam si sumens corpus Christi, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius esse eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam quod detur ei hostia non consecrata.

¶ 3. Præterea, Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine, ad eorum manifestationem: legitur enim in Decr. 2. q. 4. Sæpe contingit, ut in monasterijs monachorum, furta perpetrentur. Idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex presentibus fratribus: & sic expleta Missa, omnes communicentur in hæc verba, Corpus Christi sit tibi hodie ad probationem & infra *, Si episcopo aut presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, pro singulis Missam celebrare debet, & communicari, & de singulis sibi imputatis, innocentem se ostendere. Sed peccatores occultos non oportet manifestari: quia si frontem verecundiz abiecerint liberius peccabunt, ut August. dicit in lib. de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum, etiam si petant.

SED contra est, quod super illud Psalm. 21.

Man-

*In decr.**2. q. 4. c.**24. Sæpe**contingit.**sap. 27.*

Manducaverunt & adorauerunt omnes pingues terra, dicit August. * Non prohibebat dispensator pingues terra, id est, peccatores mensam Domini manducare.

Refertur de cos. d. 2. c. Non phibeat tom. 9.

RESPONDEO dicendum, quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti, quidam verò manifesti, scilicet per euidenciam facti: sicut publici vsurarij, aut publici raptores: vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum vel seculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari. Vnde Cypr. scribit ad quemdam, Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis suæ dedecore perseuerat: an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari. Puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Si verò non sunt manifesti peccatores, sed occulti: non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest eius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Vnde super illud 1. Cor. 5. Si is qui frater nominatur inter vos, &c. dicit gl. August. * Nos à communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico vel seculari nominatum atque conuictum. Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occultè monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam & reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipue in articulo mortis. Vnde in concilio Carthaginensi legitur *, Scenicis atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis,

li. 1. epist. epi. 10. in prin.

in lib. de medicin. pœnit. 6. 3 in me. tom. 9.

in cos. 3. Carthag. can. 35.

bb 2 vel

388 QVÆST. LXXX. ART. VI.
vel apostatis conuersis ad Deum, reconciliatio non
regetur.

Ad primum ergo dicendum, quòd sancta prohibentur dari canibus, id est, peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publicè puniri, sed sunt diuino iudicio reseruanda.

Ad secundum dicendum, quòd licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quàm infamari: tamen sacerdoti ministranti corpus Christi, peius est peccare mortaliter, infamando iniuste peccatorem occultum, quàm quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, vt alium liberet à peccato. Vnde August. dicit † in lib. quæst. super Genes. Periculosissime admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat. Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quàm indignè ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecrata: quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, siue alios presentes, siue etiam ipsum sumentem: quia vt August. dicit *, Nemo carnem Christi manducet, nisi prius a doct. Vnde extra de celebratione missæ cap. de homine, dicitur, Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauius, si se ingerat irreuerenter ad illud: grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud presumpserit simulare.

Ad tertium dicendum, quòd decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa *, Ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet, sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione, publicata delicta commissa sunt regimini nostro iudicare: occulta verò & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.

*in q. 42.
tom. 4.*

*in ps. 98.
cir. med.
exposit.
tom. 8.
† In Dec.
li. 3. tit. 41
c. 7. in fi.*

*Refertur
de cõf. d.
2. q. 4. c.
21. consu-
tuilli.*

num. Et idem habetur extra de purgationibus 7. cap. ex tuarum. In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio, unde sine peccato fieri non possunt. Et grauius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

In Decr. li. 5. tit. 34 cap. 8. Ex tuarum.

ARTIC. VII.

Utrum nocturna pollutio aliquem impediit à sumptione huius sacramenti?

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod nocturna pollutio non impediit aliquem à sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur à sumptione corporis Christi, nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Aug. 12. sup. Genes. ad lit. Ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cum expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam & veram coniunctionem corporum non discernatur: continuo mouetur caro, & sequitur quod eum motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato à vigilantibus dicitur: quod ut diceretur, proculdubio cogitatum est. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab eius sacramenti sumptione.

484
2. 2. q.
154. a. 5.
Q. 4. d. 9.
ar. 4. q. 2.
Q. ver. 9.
28. ar. 3.
ad 6.
* li. 12. c.
15. 7. me.
tom. 3.

¶ 2. Præterea, Greg. dicit in epist. ad Augustinū episcopum Anglorum, Si quis sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed tantum procreandorum liberorum gratia vitur, ille profecto siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo corporis Domini mysterio, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere. Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem à sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

in fin lib.
12 regi-
str ad 10
interroga-
tionem.
Aug. c.
10. no lon-
ge à f. &
habetur
33. q. 5. c.
7. post me.

¶ 3. Præterea, Nocturna pollutio videtur solam immundiciam corporalem habere. Sed aliæ im-

Eb 3 anu-

*loco nunc
dicto pa-
rum ante
me. c. 10.*

munditiæ corporales, quæ secundum legem impediabant ab ingressu Sanctoꝝum, in noua lege non impediunt à sumptione huius sacramenti: sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente, scribit beatus Gregor. * Augustino Anglorum episcopo. Ergo videtur, quod neque etiam nocturna pollutio impediatur hominem à sumptione huius sacramenti.

¶ 4 Præterea, Peccatum veniale non impedit hominem à sumptione huius sacramenti, sed nec etiam peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio prouenerit ex aliquo peccato præcedenti (siue crapulæ, siue turpium cogitationum), plerumque tale peccatum est veniale: & si aliquando sit mortale, potest contingere quod de mane pœnitet, & peccatum suum confitetur. Ergo videtur, quod non debeat impediri à sumptione huius sacramenti.

¶ 5 Præterea, Grauius peccatum est homicidij, quàm fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare, aut furtum, aut quodcumque aliud peccatum, non propter hoc impeditur à sumptione corporis Christi. Ergo videtur, quod multo minus fornicatio somniata cum pollutione subsequente, impediatur à sumptione huius sacramenti.

SED contra est, quod Leuitic. 15. dicitur, Vir, de quo egreditur semen coitus, immundus erit usque ad vesperum. Sed immundis non patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur, quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur à sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Vnum quidem, ratione cuius ex necessitate impedit hominem à sumptione huius sacramenti. Aliud autem, ratione cuius non ex necessitate impedit hominem ab

huiusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia. Ex necessitate quidem impedit hominem ab huius sacramenti perceptione solum peccatum mortale. Et quamuis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit: nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et idè consideranda est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim prouenit à causa extrinseca spiritali, scilicet ex dæmonum illusione: qui sicut in prima parte habitum est *, phantasmata cōmouere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero prouenit pollutio ex causa intrinseca spiritali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate siue debilitate naturæ, siue etiam ex superfluitate cibi vel potus.

Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato & cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti: ita scilicet, quòd homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque prouenit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem, quæ potest esse & mortale & veniale peccatum. Quandoque vero prouenit ex sola nequitia dæmonum, uolentium impedire hominem à sumptione huius sacramenti. Vnde legitur in collationibus Patrum, quòd cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum: seniores comperto, quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreuerunt quòd propter hoc a communione non cessaret; & ita cessauit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lasciuæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato: puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de

B b 4 tali-

9.111. a.
9.

talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ: ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Aug * supra inducta. Quandoque verò præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia & delectatione; & si adsit consensus, erit peccatum mortale: si autem desit, erit veniale. Similiter etiam & causa corporalis quandoque est sine peccato: puta cum est ex infirmitate naturæ. Vnde & quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiã si fit ex superfluitate naturæ: sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ira & semen quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum *. Quandoque verò est cum peccato: puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus: & hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi & potus. Vnde & Gregorius * scribens Augustino Anglorum episcopo dicit, cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit: non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem huius sacramenti. Ex quadam verò congruentia impedit quantum ad duo, quorum vnum semper accidit, scilicet quadam scditas corporalis, cum qua propter reuerentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lauant) nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna: sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est euagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem,

In arg. 1.

*lib. 1. de
gen. ani.
cap. 18. à
me. & c.
19. parũ
à prin.
& loco cit.
in a. 1. &
2 c. 11. &
habetur
33. q. 4. c.
vir cum
propria.*

tatē, puta vt Greg. dicit *, cum fortasse aut festus dies exigit aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

Ad primum ergo dicendum, quod ex necessitate quidem non impeditur homo à sumptione huius sacramenti, nisi propter peccatum mortale: sed ex quadam conuenientia potest homo impediari propter alias causas: sicut dictum est *.

Ad secundum dicendum, quod coitus coniugalī si fit sine peccato (puta, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impeditur sumptionem huius sacramenti, nisi sicut dictum est † de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem & mentis distractionem. Ratione cuius Hieron. † dicit super Matth. Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante habere complexibus, violari atque contingi? non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, Gregorius † dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Gregor. subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod sicut Greg. dicit † in epistola supra dicta ad Augustinum Anglorum episcopum, in veteri Testamento aliqui polluti dicebantur figuratim, quod populus nouæ legis spirituatim intelligit. Vnde huiusmodi corporales immundities, si sint perpetuæ, vel diuturnæ, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediabant accessum ad sacramenta figuratim. Si verò cito transcant (sicut immunditia pollutionis nocturnæ)

loco iam
nū: dicto
ad iter-
rog. 11.
Aug. c. 11.

in co. ar.

in co. ar.

Refertur
33.9.4.c.
Sciatis.

loco cita.
in ar. et
hētur 23
9.4.c. Vir
cum pro-
pria.

† in ff. re
gistr. ad
interrog.
a me.

ex quadam congruentia impediunt sumptionem huius sacramenti, per illum diem, quo hoc accidit. Unde & Deutero. 23. dicitur, Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua.

Ad quartum dicendum, quod licet per contritionem & confessionem auferatur reatus culpæ: non tamen auferitur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consecuta.

Ad quintum dicendum, quod somnium homicidij non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis, sicut fornicatio somniata, propter delectationis intentionem. Si tamen somnium homicidij proueniat ex causa, quæ est peccatum, præsertim mortale, impedit à sumptione huius sacramenti, ratione suæ causæ.

ARTIC. VIII.

Vtrum cibus, vel potus præsumptus impediatur sumptionem huius sacramenti?

485

*Inf. a 9.**co. et 2. 2.**9. 174. a.**6. ad 2.**et 4. dis.**8. q. 1. a.**4. q. 1. et**2. et 1.**Cor. 11.**le. 4. co. 4.**In concil.**3. Carth.**can. 29.**et hetur**de cons. di.**1. ca. Sa-**cramenta**a tartis.*

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod cibus, vel potus præsumptus non impediatur sumptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est à Domino institutum in cœna. Sed Dominus postquam cœnauit, hoc sacramentum discipulis suis tradidit: sicut patet Luc. 22. & primæ Cor. 11. Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

¶ 2 Præterea, Primæ Corinth. 11. dicitur, Cum conuenitis ad manducandum, scilicet corpus Domini, inuicem exspectate: si quis autem esurit, domi manducet. Et ita videtur quod postquam aliquis domi manducauerit, possit in Ecclesia corpus Christi manducare.

¶ 3 Præterea, In Concil. Carthag. legitur, & habetur de conse. dist. 1. * Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Ergo saltē illa die

ali-

aliquis pōt corpus Christi post alios cibos sumere.

¶ 4 Præterea, Sumptio aquæ vel medicinæ vel alterius cibi vel potus in minima quantitate, vel reliquiarum cibi in ore manentium, neque ieiunium Ecclesiæ soluit, neque sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quòd aliquis reuerenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta non impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti.

¶ 5 Præterea, Quidam de nocte profunda comedunt aut bibunt, & forte totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mysteria, nondum plene digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis, si in mane parum comederet, & postea circa nonam sumeret hoc sacramentum: cum etiam sit quandoque maior distantia temporis. Ergo videtur, quòd talis cibi præassumptio non impediatur hominem ab hoc sacramento.

¶ 6 Præterea, Non minor reuerentia debetur huic sacramento iam sumpto, quam ante sumptionem. Sed sumpto sacramento licet cibum aut potum sumere. Ergo & ante sumptionem.

SED contra est, quòd Auguf. † dicit in lib respon- *Ep. 118.*
sionum ad Ianuarium, Placuit Spiritui sancto, vt in *c. 6. ante*
honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani *me. 10. 2.*
corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid impedit *art. præc.*
sumptionem huius sacramenti dupliciter. Vno modo *¶ ar. 4.*
secundum se: sicut peccatum mortale, quod habet *huius q.*
repugnantiam ad significatum huius sacramenti, *Ep. 118.*
vt supra dictum est*. Alio modo propter prohibi- *c. 6. ante*
tionem Ecclesiæ. Et sic impeditur aliquis a sumptione *me. 10. 2.*
huius sacramenti post cibum & potum assumptum, *Ep. 118.*
triplici ratione. Primo quidem, sicut Aug. † dicit in *c. 6. ante*
honorem huius sacramenti: vt scilicet in os hominis *me. 10. 2.*
intret, nondum aliquo cibo vel potu infectum.

Secundo, propter significationem, vt scilicet detur *Ep. 118.*
intelligi, quòd Christus (qui est res huius sacramenti) *c. 6. ante*
& charitas eius, debet primo fundari in cordibus *me. 10. 2.*
nostris;

nostris : secundum illud Matth. 6. Querite primum regnum Dei. Tertio, propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis vtuntur: sicut & Apostolus dicit primæ Corinth. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi: qui statim communicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant; quia necessitas legem non habet. Vnde dicitur de consecr. distin. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.

*De cōsec.
di. 2. ca.
Presbyt.
* epi. 118
c. 6. i me.
so. 2.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus * in eodem lib. dicit, Neque quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad hoc sacramentum accipiendum conuenire debent, aut mensis suis miscere: sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat. Namque Saluator, quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum. Et ideo non præcepit, quod deinceps tali ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesia dispositurus erat, seruariet hunc † modum.

† *Alias,
locum.*

*ex gl. in-
terli. ibi.
colligi-
tur.*

Ad secundum dicendum, quod illud verbum in gl. sic exponitur †: Si quis esurit, & impatiens non vult expectare alios, manducet domi cibos suos, id est, pane terreno pascatur, nec post Eucharistiam sumat.

*3 ep. 118.
c. 6. ante
me. 10. 2.*

Ad tertium dicendum, quod capitulum illud loquitur secundum consuetudinem aliquando apud aliquos obseruatam, vt in representationem Dominicæ cœnæ illo die à non ieiunis corpus Christi sumeretur. Sed nunc hoc abrogatum est: nam sicut Augustinus * in lib. prædico dicit: Per vniuersum orbem mos iste seruetur, vt scilicet corpus Christi à ieiunis sumatur.

Ad quartum dicendum, quod (sicut in Secunda

parte habitum est ¶ duplex est ieiunium. Primum est ieiunium nature, quod importat priuationem, cuius cūque præassumpti per modum cibi, vel potus: & tale ieiunium requiritur ad hoc sacramētum, propter prædicta ¶. Et ideò neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parua quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Nec refert vtrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se, aut cum alijs, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. Reliquæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti: quia non traiciuntur per modum cibi, sed per modum saluæ. Et eadem ratio est de reliquijs aquæ vel vini, quibus os abluatur: dummodo nō traiciantur in magna quantitate, sed permixtæ saluæ, quod vitari non potest. Aliud autem est ieiunium Ecclesiæ: quod instituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prædicta non multum nutriunt, sed magis ad alterandum sumuntur.

Ad quintum dicendum, quòd cum dicitur, quòd hoc sacramentum prius, quam alij cibi, debet in os Christiani intrare, non est intelligendum absolutè respectu totius tēporis: alioquin qui semel comeditet vel bibisset, numquam posset postea hoc sacramētum accipere; sed est intelligendum quantum ad eūdem diem. Et licet principium diei secundum diuersos diuersimode sumatur: nam quidam à meridie, quidam ab occasu, quidam à media nocte, quidam ab ortu solis, diem incipiunt: Ecclesia tamen Romana diem à media nocte incipit. Et ideò si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum: potest vero, si ante mediam noctem. Nec refert vtrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem

2. 2. q. 147. a. 6.
ad 2. argum.
¶ in 10. 8.

mentis, quam patiuntur homines propter infomneitatem, vel indigestionem. Ex quibus si mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti.

Ad sextum dicendum, quòd maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus: quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia, quàm per sequentia: & ideò magis est institutum, quòd homines ieiuent ante sumptionem huius sacramenti, quàm post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti, & reliquos cibos. Vnde & in missa, oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas priuatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones statutum fuit à Papa Clemente (vt habetur de conse. diff. 2. *) Si mane Dominica portio editur, vsque ad sextam ieiuent ministri, qui eam sumpserunt: & si tertia vel quarta hora acceperint, ieiuent vsque ad vesperum. Antiquitus enim rarius missarum solènia celebrabantur, & cum maiori præparatione: nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili obseruari: & ideò per contrariam consuetudinem est abrogatum.

ARTIC. IX.

Virum non habentes vsum rationis, debeant suscipere hoc sacramentum?

486

4. d. 3. a.
3. q. 7. q.
4. q. di.
23. q. 2.
2. 2. q. 4.
eo q. 10.
6. lec. 7.
eo. a.

AD nonum sic proceditur. Videtur, quòd non habentes vsum rationis, non debeant hoc sacramentum suscipere. Requiritur enim quòd aliquis ad hoc sacramentum cum deuotione, & præcedente sui examinatione accedat: secundum illud 1. Cor. 11. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Sed hoc non potest esse in his, qui carent vsum rationis. Ergo non debet eis hoc sacramentum dari.

¶ 2. Præterea, Inter alios qui carent vsum rationis, sunt etiam arreptitij, qui enervamenti dicuntur. Sed

tales

tales etiam ab inspectione huius sacramenti arcen-
tur: secundum Dionys. * in lib. eccles. hier. Ergo ca-
rentibus vsu rationis, hoc sacramentum dari non
debet.

*c. 3. eccl.
hie. p. 2.*

¶ 3 Præterea, Inter alios carentes vsu rationis,
maximè pueri videntur esse innocentes. Sed pueris
hoc sacramentum non exhibetur. Ergo multo minus
alijs carentibus vsu rationis.

SED contra est, quod legitur in concilio Arau-
ficano * (& habetur in Decr. 26. q. 6. c. qui rece-
dunt.) Amentibus quæcumque pietatis sunt, confe-
renda sunt. Et ita est eis conferendum hoc sacra-
mentum: quod est sacramentum pietatis.

*can. 3 ha
betur de
confe. di.
2. c. Quis
recedit.*

RESPONDEO dicendum, quòd aliqui dicuntur
non habere vsum rationis dupliciter. Vno modo,
quia habent debilem vsum rationis, sicut dicitur non
videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam
deuotionem huius sacramenti concipere, non est eis
hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicun-
tur aliqui non habere totaliter vsum rationis. Aut
igitur numquam habuerunt vsum rationis, sed sic
à natiuitate permanserunt: & sic talibus non est hoc
sacramentum exhibendum: quia in eis nullo modo
præcessit huius sacramenti deuotio. Aut non semper
caruerunt vsu rationis: & tunc si prius, quando e-
rant compotes suæ mentis, apparuit in eis deuotio
huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc
sacramentum exhiberi: nisi forte timeatur pericu-
lum vomitus, vel expuitionis. Vnde in Concilio Car-
thaginensi legitur * (& habetur in Decretal. 26. quæ-
stio. secun.) Is qui pœnitentiam in infirmitate petit,
si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppres-
sus infirmitate obmutuerit, vel in phrènesim conuer-
sus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, &
accipiat pœnitentiam: & si continuo creditur mori-
turus, reconcilietur per manus impositionem, & in-
fundatur ori eius Eucharistia.

*In concil.
4. Carth.
ca. 6. 19.
habetur: 6
q. 6. ca. 18
qui pœni-
tentiam.*

Ad primum ergo dicendum, quòd carentes vsu
ratio-

rationis possunt deuotionem ad sacramentum habere, quantum ad aliquos quidem præsentem, quantum ad alios autem præteritam.

*loco cit.
in arg.*

Ad secundum dicendum, quòd Dionys. * loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis: in quibus scilicet nondum est vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio, & de alijs amentibus. Vnde Cassianus dicit, Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.

*c. 2. in p.
2. in fi.*

Ad tertium dicendum, quòd eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt vsum rationis, vnde talibus non sunt sacramenta danda. Quamuis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quòd Dionys. 2. * Cœlest. hier. dicit, baptizatis esse sacram communionem dandam: non intelligentes quòd Dionys. ibi loquitur de baptismo adulatorum. Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quòd Dominus dicit Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia sicut Augustinus * scribit Bonifacio, Tunc vnusquisque fidelium, corporis & sanguinis Domini particeps sit, scilicet spiritualiter, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

*refertur
de conf
di. 4. ca.
Nulli.*

ARTIC. X.

487 *Vtrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere?*

*4 dis. 12.
9. 2. a. 1.
Co.
11 lec. 7.
eo. 5.*

AD decimum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus representat Dominicam passionem, ita & hoc sacramentum. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum: quia Christus semel tantum

pro

pro peccatis nostris mortuus est, ut dicitur 1. Pet. 3. Ergo videtur quod non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

¶ 2 Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed agnus Paschalis, qui fuit figura præcipua huius sacramenti (ut supra dictum est *) non manducabatur, nisi semel in anno. Semel etiam in anno ecclesia celebrat Christi passionem, cuius hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur, quod non liceat quotidie sumere hoc sacramentum, sed solum semel in anno.

q. 73. a. 6

¶ 3 Præterea, Huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reuerentia debetur. Ad reuerentiam autem pertinet, quod aliquis ab hoc sacramento abstineat. Vnde & laudatur Centurio, qui dixit Matth. 8. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Et Petrus, qui dixit Luc. 5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Ergo non est laudabile, quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

¶ 4 Præterea, Si esset laudabile, frequenter hoc sacramentum accipere, quanto frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius. Sed maior esset frequentia, si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile, quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet ecclesiæ consuetudo. Non ergo videtur esse laudabile, quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

¶ 5 Præterea, Ecclesia intendit suis statutis fidelium utilitati providere. Sed ex statuto Ecclesiæ fideles tenentur solum semel communicare in anno: unde dicitur * extra de pœnit. & remis. Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinentiam. Non ergo est laudabile, quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

in dec. li.
5 tit. 38.
c. omnis
utriusq.
est c. 8.
in ser. 28
parū ante
me. 10.

SED contra est, q̄ Aug. * dicit in lib. de verbis
Tertia Partis Vol. ij. C c Do-

Domini, Iste panis quotidianus est: accipe quotidie, ut quotidie tibi profit.

RESPONDEO dicendum, quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambrosius dixit in lib. * de sacramentis, Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.

*l. 4. c. 6. à
m. 10. 4.
de conse.
d. 2. c. 4.*

*in ser. 28
de verb.
dom. pa-
trum ante
m. 1. 10.*

Alio modo potest considerari ex parte sumendi, in quo requiritur, ut cum magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratū inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat. Vnde Augustinus * cum dixisset, Accipe quotidie ut quotidie tibi profit: subiungit, Sic viue, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ: non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo inuenerit paratum. Vnde in

*s. 53. in
prin. ha-
betur ib.
hic inser
opera Au-
gust. 1. 3.
habetur
de cons. d.
2. c. 13.*

lib. * de eccl. dog. dicitur, Quotidie eucharistiæ communionem accipere, nec laudo nec vitupero.

Ad primum ergo dicendum, quòd per sacramentum baptismi configuratur homo morti Christi, in se suscipiens eius characterem: & ideo sicut Christus semel mortuus est, ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem, sed ipsum Christum, cuius virtus manet in æternum. Vnde Hebr. 10. dicitur, Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Et ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum suscipere. Et quia præcipue baptismus est spiritualis regeneratio, ideo sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci

per

per baptismum, vt Aug.* dicit super illud Io. 3. Quo- *trac. 9. in*
modo potest homo nasci cum sit senex? Sed hoc sa- *euang. Io.*
cramentum est cibus spiritualis: vnde sicut cibus cor- *non mul*
poralis quotidie sumitur: ita & hoc sacramentū quo- *sum ante*
tidie sumere, laudabile est. Vnde Dominus Luca 11. *me. 10. 9.*
docet petere, Panem nostrum quotidianum da nobis
hodie. In cuius expositione Aug. dicit in * libro de *in ser. 28*
verbis Domini, Si quotidie accipis, scilicet hoc sa- *de ver do*
cramentum, quotidie tibi est hodie, tibi quotidie *mi. a me.*
Christus resurgit: hodie enim est tibi quicumque *10. 10.*
dies, quo tibi Christus resurgit.

Ad secundum dicendum, quod agnus Paschalis præ-
cipue fuit figura huius sacramenti, quantum ad pas-
sionem Christi, quæ representatur per hoc sacramen-
tum. Et ideo semel tantum in anno sumebatur, quia
Christus semel mortuus est: & propter hoc etiam
ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis
Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis me-
moriale passionis Christi per modum cibi, qui quoti-
die sumitur. Et ideo quantum ad hoc significatur per
manna, quod quotidie dabatur populo in deserto.

Ad tertium dicendum, quod reuerentia huius sa-
cramenti habet timorem: amoris coniunctum (vnde
timor reuerentiæ ad Deum, dicitur timor filialis: vt
in secunda * parte dictum est): ex amore enim pro-
uocatur desiderium sumendi, ex timore autem con-
furgit humilitas reuerendi. Et ideo vtrumque per-
tinet ad reuerentiam huius sacramenti, & quod quo-
tidie sumatur, & quod aliquando abstinatur. Vnde
August. dicit *, Si dixerit quispiam non quotidie
accipiendam eucharistiam, alius contra: faciat vnul-
quisque quod secundū fidem suam pie credit esse fa-
ciendum. Neque enim litigauerunt inter se Zacchæus
& ille Centurio, cū alter eorum gaudens suscepit Do-
minum, alter dixit, Non sum dignus, vt intres sub te-
ctum meum; ambo Saluatorem honorificantes, quā-
uis nō vno modo: amor tamē & spes, ad que semper
scripturā nos prouocat, præferuntur timori. Vnde &

1. 2. q. 67.
2. 4. ad 2
2. 2. q.
19. a 9. et
alijs.
epi. 118.
c. 3. t. 2.

cum Petrus dixisset, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, respondit Iesus, Noli timere.

Ad quartum dicendum, quòd quia Dominus dicit, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non est pluries in die communicandum: vt saltem per hoc quòd aliquis semel in die communicat, repræsentetur vnitas passionis Christi.

in ep. sua

1. in me.

illius. &

habetur

de conf.

d. 1. c. Epi

scopus.

de cōf. d.

2. c. etsi nō

frequen-

tius.

**in ep. ad*

epif. Ita-

lia. de cō-

se. d. 2. c.

in cōna.

† In. III

in cōf. La

ter. c. 2.

**c. 53. cir*

ca princ.

habetur

liber hic

inter ope

ra Aug.

to. 3.

486

4. d. 12 q.

3. ar. 2.

a præc. in

arg. 3.

Ad quintum dicendum, quòd secundum diuersum statum ecclesiæ, diuersa circa hoc statuta emanauerunt. Nam in primitiua ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus * Papa dicit, Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia. Postmodum vero diminuto fidei feruore, Fabianus Papa † indulxit, vt si non frequentius, saltem ter in anno, omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter. * etiam Papa in Cœna Domini dicit esse communicandum, vt habetur in Decretis. de conf. dist. 2. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigerante charitate multorum, statuit Innocentius III † vt saltem semel in anno, scilicet in Pascha, fideles communicent. Consuevit tamen in lib. * de eccles. dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

ARTIC. XI.

Vtrum liceat omnino à communione cessare?

Ad vndecimum sic proceditur. Videtur, quòd liceat cessare omnino à communione. Laudatur enim Centurio de hoc quòd dicit Matthæi o & auo, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: cui comparatur ille qui reputat à communione sibi esse abstinendum, vt dictum est *. Cum ergo nunquam legatur Christum in eius domum venisse, videtur quòd liceat alicui toto tempore vitæ suæ à communione abstinere.

¶ 2 Præterea, Cuilibet licet abstinere ab his, quæ

non

non sunt de necessitate salutis . Sed hoc sacramenti non est de necessitate salutis , vt supra dictum est * . Ergo licet à sumptione huius sacramenti omnino cessare . *q. 73. a. 3*

¶ 3 Præterea , Peccatores non tenentur communicare . Vnde Fabianus Papa * cum dixisset , Ter in anno omnes communicent , adiunxit , nisi forte quis maioribus criminibus impediatur . Si ergo illi , qui non sunt in peccato , tenentur communicare , videtur quòd melioris conditionis sint peccatores , quàm iusti : quod est inconueniens . Ergo videtur , quòd etiam iustis liceat à communione cessare . *habetur de conse. d. 2. c. etsi non frequētius .*

SED contra est , quòd Dominus dicit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis , & biberitis eius sanguinem , non habebitis vitam in vobis .

RESPONDEO dicendum , quòd (sicut supra dictum est *) duplex est modus percipiendi hoc sacramentum , scilicet spiritualis , & sacramentalis . Manifestum est autem , quòd omnes tenentur saltem spiritualiter manducare : quia hoc est Christo incorporari , vt ¶ supra dictum est . Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum , vt supra dictum est * . Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum , non potest homini esse salus . Frustra autem esset votum nisi impleretur , quando opportunitas adesset . Et ideo manifestum est , quòd homo tenetur hoc sacramentum sumere , non solum ex statuto ecclesiæ , sed ex mandato Domini , dicentis Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem . Ex statuto autem ecclesiæ ¶ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum . *a. huius q. et q. 73 a. 3. ad 1. q. 73. a. 3 ibid.*

Ad primum ergo dicendum , quòd sicut Gregor. * dicit in pastorali , Illa est vera humilitas , cum ad respiciendum , quod utiliter præcipitur , percinax nõ est . Et ideo non potest esse laudabilis humilitas , si contra præceptum Christi & ecclesiæ , aliquis omnino à cõmunionem abstinat . Neque enim Centurioni præceptum . *c. omnia utriusq. sexus. in 1. p. c. 6. cir pri.*

ceptum fuit, ut Christum in sua domo reciperet.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut baptis mus: quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptis mi: quantum vero ad adultos, utrumque est necessitatis.

Ad tertium dicendum, quod peccatores magnum detrimentum patiuntur ex hoc, quod repelluntur à perceptione huius sacramenti: unde per hoc non sunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc à transgressione præcepti: pœnitentes tamen, qui, ut Innoc. dicit*, secundum consilium sacerdotis abstinēt, excusantur.

ARTIC. XII.

489 *Utrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine?*

*inf. q. 8. 2. a. 4. et 4. d. 12. q. 3. a. 1. q. 2. * de cons. d. 2. c. cōperimus.*
AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod nō liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa*, & habetur de consecr. dist. 2. Comperimus, quod quidā sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacra ti cruoris abstinēt: qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiāt, aut ab integris arceantur. Non ergo licet sumere corpus Christi sine eius sanguine.

¶ 2 Præterea, Ad perfectionem huius sacramenti concurrit & manducatio corporis, & potatio sanguinis: ut supra habitum est*. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum, quod ad sacrilegium pertinere videtur. Unde ibidem Gelasius* subdit. Quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio prouenire non potest.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum celebratur in memoriam dominicæ passionis, ut supra dictū est*) & sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine, quam in corpore: sanguis etiam pro salute animæ offertur, ut supra habitum est*. Potius ergo esset abstinendum à sumptione corporis, quam à sumptione sanguinis. Ergo accedentes

dentēs ad hoc sacramentum, non debent sumere corpus Christi sine eius sanguine .

SED contra est multarum ecclesiarum vsus : in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum , non autem sanguis .

RESPONDEO dicendum , quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari . Vnum ex parte ipsius sacramenti : aliud ex parte sumentium . Ex parte quidem ipsius sacramenti conuenit , quòd vtrumque sumatur, scilicet & corpus & sanguis : quia in vtroque consistit perfectio sacramenti . Et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine . Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia , & cautela , ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriã tanti mysterij . Quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione : qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi . Et quia creuit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes & iuuenes & paruuli , quorum quidam non sunt tanta discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius sacramenti adhibeãt : ideo prouide in quibusdam ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur , sed solum a sacerdote sumatur .

Ad primum ergo dicendum, quòd Gelasius loquitur quantum ad sacerdotes : qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent . Vt enim legitur in Concilio Tolerano *,

*Cœc. Tol.
12. c. 5. de
conf. d. 2.
c. relatũ.*

Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur ? Ad secundum dicendum, quòd perfectio huius sacramenti non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ . Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti , si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat vtrumque .

Ad tertium dicendum, quòd representatio Dominicæ passionis agitur in ipsa cõsecratione huius sacramenti,

menti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit: & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt supra habitum est*.

q.76. a 2

QVÆST. LXXXI.

De modo quo Christus usus est hoc sacramento, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de usu huius sacramenti, quo Christus usus est in prima sui institutione.

¶ Et circa hoc quærentur quatuor.

¶ Primo, vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem?

¶ Secundo, vtrum Iudæ dederit?

¶ Tertio, quale corpus sumpserit aut dederit, vtrum scilicet passibile, vel impassibile?

¶ Quarto, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reseruatum, aut consecratum.

ARTIC. I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem?

490

inf. q. 84.

a 7. ad 4

et 4. d. 11

q. 3. a. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non sumpserit corpus suum & sanguinem. Non enim de factis Christi & dictis afferri debet, quod auctoritate sacræ scripturæ non traditur. Sed in Euangelijs non habetur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc afferendum.

¶ 2 Præterea, nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium, prout scilicet, vna pars eius est in alia, vt habetur 4. * Phys. Sed illud quod manducatur & bibitur, est in manducante & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

1.4. text

34 10.2.

¶ 3 Præ-